TENTAMEN INAUGURALE MEDICUM,

QUAEDAM

DE

VULNERIBUS,

TORMENTIS DISPLOSIS, ORTIS,

COMPLECTENS.

AUCTORE HENRICO IRWIN.

Legibus Academiae almae hujusce jure celeberrimae, quae ritè postulant, ut omnes honores medicinae summos ambientes, rem medicam quandam tractent; ne invitè quidem, at quâ par est diffidentiâ, obtemperans, de vulneribus sclopeticis, ob causas diversas agere statui. Ad opus equidem hocce memet ipsum libentiùs accingo, propterea quod, et res ipsa inter negotià bellicosa,

[Edinburgh: C. Stewart. 1812.]



quae partem regnorum horum incolarum praestantem nunc jam occupant, magni momenti jure habenda est; et, in muneribus militaribus fungendis, diutiùs prius versatus, quam tres novissimos annos, stipendia in Peninsula merui, animoque in injurias hujuscemodi, summa cum diligentia incubui.

Officiis hisce diversis occupatus, exercitum nostrum in expeditiones diversas eductum, comitatus sum, praeliisque variis interfui; quinetiam, commodis ortis, et effectibus vulnerum instanter notatis, et mutationibus quas in nosocomiis subierunt, diligentiùs observatis, ritè fructus fui.

Res hasce in medium proferre in limine lubet, ne quis me culpae fidentiaeque nimiae jure arguat, siquando quibusdam in rebus, ab hominibus aliis spectatissimis in foro conscientiae dissensero.

Quin et, si res narratione fusiore prorsus dignas, levitèr solummòdo perstrinxero, ne id mihi vitio lectores vertant, propterea quod, ultra terminos disputationis hujusce debitos longè latéque vagarer, si de historiis, effectibus, methodoque, Vulneribus Tormentis Displosis inflictis medendi, plurimis verbis disseruissem.

Rebus ita sese habentibus, facta quaedam, observationes, conclusionesque, e fontibus supra dictis magna ex parte hausta, in lucem prodere satis habeo. Interea veruntamen temporis, me in dissertatione hacce verba de vulneribus militum praeliis illatis facere, lectores in memoria sedulò teneant, idcirco quia, homines acie saucii, longè alitèr ac illi vitam domi degentes, casuque laesi, sese habent, ideoque ratio illis medendi prorsùs alia sanè evadit.

Militem praelio vulneratum, animo manifestè commotum, chirurgo primo ante oculos versari, observandum est. Ad animos firmissimorum perturbandos, res haud paucae reverà conspirant. Elatio mentis et magnitudo, quibus cum hoste congressi sunt, effectum huncce faciliùs edunt. Praeterea, naturae violentiaeque injuriae illatae inscius, ideoque de eventu anceps haerens, miles vulneratus animo magnoperè deficit. Statu mentis hocce ad laesi commodum uti, penes chirurgum erit, idcirco quia, in hoc statu rerum morem chirurgo, saucius promptiùs geret, nutuque ejus quidem regitur.

Facultate data, vulnus statìm accuratissime inspiciat chirurgus oportet. Partibus musculosis solummòdo laesis, vulnus lino levitèr aperiat, idque emplastro adhaerente muniat. Sin autem corpora aliena in vulnere infixa sint, eaque pertingi possint, illico extrahantur.

Quinetiam, haemorrhagiâ superveniente, quae ad ramum ramosve cujusdam trunci referre possimus, arteria ritè incidatur, prehendaturque quam primum tenaculo. Hisce autem in casibus, sanguis ne saepiùs quidem e vulnere profluit, haemorrhagiaque profusa, rariùs ac a priore existimari posset, chirurgi oculis obversatur.

Praeliis quidem in cruentis Talaverae de la Reyna Albueraeque factis, certaminibusque in minoribus, nec non, quibus ad Almeidae pontem, Busaco, Fuentes de Honore interque Oporto recipiendum decertatum fuit, profluvia sanguinis mihi ante oculos versata perrarò fuere, nec de his certior factus eram, commercio sermonum epistolarumque diffuso, cum medicis aliis compluribus, qui dimicationibus hisce interfuerant.

Exempla quae sequuntur, effectus tormentorum displosorum in arterias singulares, sanguine parum effuso satìs superque me judice ostendunt.

Domini C. legionis sexagesimae primae, praefecti vicarii brachium ab axilla avulsum, ope fibrarum muscularium quarundam parte posteriore solummodo suspensum, haesit. Praefecto de quo agitur, Talaverae horâ matutina septima sauciato, ne ante horam post meridianam quartam quidem succursum fuit. Tunc autem temporis, Dominus Gunning ad copias chirurgus membrum ad humeri articulum amputavit. Sanguis vero aut vix, aut ne vix quidem, ullus per intervallum e vulnere exiit, etiamsi remedia nulla, causa haemorrhagiam cohibendi, in auxilium vocata fuerant.

Domino M'B. legionis militum ex aliis cohortibus segregatorum praefecto vicario

crus, eodem die in vesperam flexo, catapultae ictu infra genu discerptum fuit, posteroque manè eum inter alios vulneratos inveni. Dominus Betty, legionis ejusdem chirurgus, vulnus leviter curaverat, machinâque *Tourniquettâ* dicta super arteriam laxè posita, rationem fluxûs sanguinis cohibendi, ope hujus instrumenti, vulneratum ritè docuerat. Machinae autem necessitas, ne saucio quidem obvenit, sanguinisque uncia vix ac ne vix quidem amissa, membrum hora sexta septimave A. M. arte removi.

Historiis hiscè, alias haud paucas parum dissimiles addere facile possem, resque inter rara insolitaque parùm quidem habenda est; at metum, ob profluvia sanguinis profusa inanem, pectoribus chirurgorum plerisque in casibus incuti, narrationibus hisce, ni fallor patet; pressuramque in vasa disrupta, vulnerato ne plerumquè quidem prodesse; at

potiùs multum nocere, memetipsum usu experientiaque persuasissimum habeo.

Pressio etenim in vasa lacerata justo longè arctior, sive saucio ipso, sive amicis in acie facta, me iterum iterumque et solicitavit et anxit vehementer, sudaria etenim adeo nodata coarctaque vidi, ut, si per idem tempus partibus sanis admota fuissent, effectus dirissimos certo certiùs praestitissent.

De incommodis magnis, quae a pressura in partem laesam inconsultè adhibita vulneratis oriuntur, fusiùs disserere, supervacaneum foret.

Verumenimvero, ne lectores sententiam meam de hac re malè judicent negligentiae aut chirurgi aut saucii, aut amicorum ejus qui adstant, minimè equidem indulgeo; exempla etenim nobis ante oculos subindè versantur, in quibus pressio, in arterias

grandiores, ritè maturéque adhibita, vulneratis haud parùm proderit.

Res potissimùm ita se habet, quandocumque aut manus aut pedes sauciantur, arteriis videlicet diversis laesis, quae sanguinem e truncis diversis effundunt; cursum nec non profundum tenent, partesque suppeditant, quae propter injurias illatas ligaturam aut aegrè aut ne omninò quidem ferunt.

Historia quae sequitur observationes hasce, ni animus me fallit, satìs luculentèr patefaciet. Decurionis Robertson legionis nuperae equitum vigesimae tertiae, globulus Tormenti manum perfodit, transiensque in obliquum, ramos arcuum, et exterioris, et etiam volae profundioris diversos, laceravit. Vasa disrupta corrugare, fluxumve sanguinis sistere, chirurgus, ligaturis stipticisque incassùm conatus est. *Tourniquettâ* etenim re-

laxata, sanguis per aperturas diversas, protinùs profluxit.

In hac inclinatione rerum, in dubium venit, an ad amputationem, necne, confugiendum foret: pressurâ, veruntamen, in cursu et arteriae radialis et ulnaris admota, parteque vulnerata ipsa, spongio cereo, eodem tempore lenitèr pressa, fluxus sanguinis gradatìm compescebatur. Rebus sic stantibus, chirurgus pressionem in arteriarum cursu sensìm diminuit, posteroque prorsùs submovit, coagulumque ostia arteriarum tam arctè clausisse invenit, ut potestas frustula unius ossium metacarpi quod fractum feréque disjunctum fuit, sine haemorrhagia ulla removendi ei fuisset. Suppuratione superveniente, haemorrhagia, at parciùs rediît; pressurâ vero in cursu arteriarum iterum applicata, gradum facilè sistit, impedimentoque nullo posteà interposito, vulneratus ritè convaluit.

Hisce propositis, ut me usum pressurae in cursu arteriarum reprehendere aliquis putet, mihi quidem herculè non est verisimile. Et chirurgos veruntamen, et milites ipsos vulnera nimìs frequentèr premere mihi persuasissimum est, ideoque, de praxeos hujusce usu generali prorsus aliter equidem sentio, ac multi medicinam in acie facientes.

Quin opinioni etenim militum falsae, de pressionis utilitate generali, chirurgi quidam, illi potissimum, qui cum exercitu in arenam primò descendunt, usu, plus justo faveant, nullus equidem dubito. Hoc enim in casu, chirurgus cupiditate incitatus vehementi iis succurrendi, quorum sortes fidei ejus commissae sunt, muneribusque in suis fungendis, jamjam magnoperè occupatus, vasisque vulneratorum magnis necnon laesis, sanguinem copiosiùs effundentibus, de necessitate utilitateque pressurae in vasorum

horum cursu, vulneratis persuadere, naturâ conatur. Consiliis verò hisce datis, chirurgi statìm per ordines turmasque disperguntur.

Verumenimverò, rebus sic stantibus, animisque sauciorum agitatis, in pugnae tumultu, consilia de ligaturarum utilitate justo pluris aestimantur, pressuraque incautiùs, vulneris videlicet statu parum eam postulante, in auxilium vocata, saucii spes non solum destituit; at periculo plena etiam evadit. Ligaturis hisce remotis, sauciati mihi grates sinceras iterum iterumque egere, terroribus vanis liberati, haemorrhagiâ scilicet nulla superveniente.

Quin et, ad ligaturas compressionesque saepiùs causâ malum timendum praecavendi, ac sanguinis fluxum cohibendi, decursum esse, insuper observandum est. Hinc ratio patet, quare effectus tam insignitèr deplorandos frequentissimè gignunt.

DE ARTUBUS, IN PROELIIS, LAESIS AMPUTANDIS.

Sequitur res quae, si mens me ritè monet, attentionem chirurgi cum exercitu in acie militantis summam, aeque ac pressio in partes laesas, jure sibi vindicat: questio videlicet de artubus, post vulnera graviora recepta, injurias articulorum majorum insignes, arteriasque vel humeri vel femoris laesas, quam primum amputandis.

Si ratione ad vulneris conditionem ritè habitâ, chirurgus membrum arte removere officii duxerit, ad operam statìm sese in acie accingat, tempusque teratur, neutiquam, oportet. Si quando portiones ossium artuum insigniores dilacerentur, vulnerave, species prae se ferrent, quae artûs amputandi necessitatem clarè demonstrant.

Quin vulnerati conditione ritè monitus, chirurgus ad operam, cunctatione omni abjectâ, confugere debeat, nullus equidem dubito, ideoque in illorum sententiam manibus pedibusque discessurus sum, qui et operationis hujusce commoda, et etiam necessitatem benè comprobata habent.

Verumenimvero chirurgos complures operae aliquam producere moram, me neutiquam fugit. Hisce etenim judicibus meliùs de eventu ominari liceat, si vulneratus ad nosocomium delatus sit, ante amputationem quam subierit, propterea quod, animum pugnae tumultu parùm turbatum, in pensum suum tunc incumbere, penes chirurgum erit.

Quinetiam, moram in artu amputando commodo adhuc insigniori, aegro facilè laturam esse, sunt haud pauci, qui sibi persuasum habent. Diathesi corporis sauciati phlo-

gistica, videlicet, causis dictis, diminuta, mala e plethora metuenda omnia, ni hi falluntur, faciliùs evitantur, dum habitûs corporis extenuatio ipsa, ad sanitatem celeriùs restituendam, plurimum valet.

Hisce veruntamen omnibus mihi diligentissimè meditatis, periculisque haud paucis factis, longè aliter ac morae fautores equidem existimo, saucioque, post vulnus ejusmodi grave receptum, ad nosocomium longo intervallo forsitàn situm, remoto, ei serissimè succursum fore, animus mihi neutiquam pendet. Chirurgus etenim vulnus summa cum attentione in acie curet medicetque, vulneratus, curriculi motibus violentis concussus, inter morsus doloris acerrimos, ad valetudinarium vehitur.

In regionibus etenim, quae belli arena sunt, nosocomia, et prudentiâ, et saepiùs etiam necessitate, procul a tergo semper col-

locantur, nec rariùs, bello latiùs longiúsque exardente, necessitate rerum e locis removentur, quae militiae initio ab hostibus secura videbantur.

Quin et, vulneratis ob numerum ad nosocomia deportandum, vehicula saepius deficiunt, curriculaque iis suppeditata, satìs incommoda sunt. Bella etiam in locis confragosis, plerisque in casibus, gestum esse, itineraque ad militiae sedem ob asperitates, et angustias, saepius ferè inexplicabiles, ideoque carris, vix ac ne vix quidem pervia, insuper observandum est.

Hisce propositis, vulneratis inter vehendum cumulum ad dolores summos accedere, ni fallor, facilè patet. Quis etenim miseriis calamitatibusque militis vulnere gravi ejusmodi affecti, opem ferre potest, ossibus, videlicet, aut fractis. aut disjunctis, motuque vehiculi duri quovis, plagam ei alteram in-

fligentes. Gangraena febre acutissimâ comitata, citiùs superveniens vulneratum miserum, et vitae et aerumnis celeriùs eximit.

Medicum igitur humanum, malis hisce dirissimis, quibuscunque modis mederi convenit. Verumenimvero, fac incommoda supradicta penitùs remota esse, restat et sanè alterum, quod, me judice, omnia alia simul juncta prorsùs exaequat. Vulnera etenim in suppurationem profusam promptiùs eunt. Hinc fontes irritationis effluviorumque, quae et saucios ipsos, et alios facilè inficiunt. Ea igitur de causa, vulneribus laborantes in nosocomia perperàm delati, febre nosocomiali paratiùs corripiuntur.

Malis hisce ne antea quidem, aut providendum, aut praecavendum est, propterea quod, dimicationibus universis editis, non

potest fieri, quin vulnerati malè coarctentur, ob difficultatem commoda hospitia obtinendi summam, quibus in statu rerum feliciore, morbis impliciti nunquam non instruuntur.

Regiones, quibus exercitus nostri stipendia nunc jam faciunt, prae omnibus forsàn aliis, in orbe terrarum, nosocomia militaria idonea aërique puro ritè exposita praebent. Incolae monasteria et ampla, et spatiosa, ad aegros accommodandos, promptiùs designant. Etiamsi veruntamen medici seniores operi maximo dabant operam, ut sauciati domiciliis propriis ritè fruerentur; etiamsi utilitas accommodationis hujuscemodi summa eos parum latebat; etiamsi exercitûs imperatores nostri conatibus eorum strenuissimè favebant, potestas ex malis penitus emergendi praeliis Talaverae, Albueraeque ingentibus factis, ne nobis quidem fuit.

Valetudinaria praecipua Elvae constituta fuere. Oppidum vero hocce, ratione ad ejus amplitudinem ritè habita, vulneratis hospitia eximia reverà praebuit, oppidanique illis de habitationibus libentissimè, occasionibus hisce duabus, accommodavêre. Sauciatos veruntamen in loca alia diversa distrahere, necessitas nos sanè coëgit, illis videlicet, qui vulneribus levioribus laboravêre, ulteriùs in tergum remotis, dum alii haud pauci Ulyssiponem jumentis deportati fuere.

Rebus hisce diutiùs immorari lubet, propterea quod, et chirurgi opiniones, et operam militarem summoperè afficere debent; dum ad conclusionem meam roborandam certo certiùs insignitèr valent.

Amputationem, ex M. Bilguer ad Fredericum Prussorum regem chirurgi primarii objectionibus, multorum animos offendere non inficias ibo: chirurgus etenim expertus

hicce, ab artubus amputandis, abhorruit, ideoque operationem acerrimè reprehendit, rexque argumentis ejus inductus, sanxit edicto, ne ad hanc unquàm confugere liceret.

Verumenimvero, scriptores hujusce argumenta, deliberatione digna, vix aut ne vix quidem, me judice, habenda sint. Sin autem scrupulus ullus de hac re, argumentis hisce perpensis, alicui restet, observationes Thomae Chevalier scriptoris luculenti chirurgique experti, et rationale, et quidem eximias, de membris amputandis, perlegat et relegat, eumque deìn, in chirurgi hujusce sententiam pedibus iturum esse facilè adducam, et credam *.

Ex iis etenim, quibus artus in acie amputati fuere, haud paucos ad sanitatem ferè redactos fuisse, vulneribus scilicet congluti-

* Chevalier *On Gun-Shot Wounds*, p. 105 et seq.

natis, ante nosocomia ad stativa quam pervenerint, et usu proprio, et experientiâ aliena, iterùm iterúmque compertum habui. Hisce felicitèr convalescentibus, nomina eorum in aegrotorum albo inserere, necessarium parùm fuit.

Si quidem illis, quibus membra graviùs vulnerata, illico in acie adempta fuere, cum his, qui amputationem, paucis abhìnc diebus, in nosocomiis subierunt, ritè cautéque comparatis, ex eventu judicium ferre liceat, utram methodum utri anteferendam esse, vel pauci vel nemo, ni fallor, dubitare possunt. Illi videlicet febribus irritationibusque, suppuratione profusa, ortis, immunes, vires etiam illaesi promptiùs convalescunt.

Quinetiam, hunc in effectum optandum, privationes, incommoda, defatigatioque, quas miles cum hostibus congressurus plerisque in casibus necessariò subit, haud

parùm forsàn conferunt, diathesi videlicet phlogistica, hoc modo, ritè subacta, quam, rebus alitèr stantibus, pars corporis humani tam ampla discerpta, in motum ciere facilè posset.

Vulneratum, periculum haemorrhagiae ex membro mutilato certo certiùs aditurum esse, ob ligaturas videlicet lapsas, causasve alias, quibus, motus corporis violenti, confestim perpetiendi, ansas facilè praebere possunt, sunt qui forsàn strenuè contendent. Sin autem experientiae meae confidere ausim, hoc rariùs accidit, ac a priore concludere liceret. Si quando eventus hujuscemodi oculis male obversatus fuisset, facilè adducor, ut hunc aut aegroti animi impatientiae aut chirurgi incuriae sanè attribuam.

Est etenim chirurgi, hisce in casibus, vasa et majora, et minora etiam tenaculo

prehendere, vasis vero ritè ligatis, a malo aut plerumque, aut semper cautum est.

Historiam quae sequitur in medium ponere mihi concedat, propterea quod, inter alias haud paucas, quas statuere penes me est, observationes lectoribus ante oculos nunc positas, satis perspicuas ni fallor reddet.

Dom. F. legionis quadragesimae tertiae praefectus vicarius, vulnere in congressu apud pontem Almeidae inflicto, Celoricum illico deportatus fuit.

Vulnere ritè inspectato, spem artum tuendi, prorsus abjicimus; hostibusque in primam aciem acriùs instantibus; vulnerati ulteriùs ad tergum vectabantur. In hoc statu rerum ad amputationem statìm confugere visum est, artumque versus partem femoris superiorem, vulneris conditio chirur-

gum aufferre sanè coëgit. Membro hoc modo arte ablato, sauciatus a tabula in plaustrum illicò portatur, iterque sine mora ingreditur. Viisque asperrimis peragratis, iter centum millia passuum, gradum, nisi causâ vires reficiendi, parum sistens tutò confecit.

Historiam hancce in lucem libentiùs prodo, propterea quod, laesus de quo agitur, eventui suspecto obnoxius utpote fuit : ingenium etenim intractabile ei infuit, proque noxis levissimis iras graves gessit. Quin et, viginti annos natus in ea aetate fuit, quâ in corpore humoribus abundante, sanguis summa cum velocitate circuitum facit. Haemorrhagia veruntamen nulla sese ostendit, etiamsi animi impatientiâ, concitatus, plagam iterùm iterúmque in itinere rescidit, animoque violentus et obsequii ignarus comites in via sanè offendit.

Verumenimvero, res quaedam oculis saepiùs obversatur, quae attentionem medici militaris summam sibi jure vindicat. Necessitas, durum telum, sicutì in exemplo nunc jam relato, chirurgum saepiùs, membra haud levi inflammatione correpta amputare cogit. Quin chirurgus moram interponere debeat, usque dum tumor, dolor, febrisque symptomatica, aut regimini antiphlogistico succubuerunt, aut inflammatione superveniente, subsederint, si occasio moras nectendi facultatem dedisset, vel pauci vel nemo dubitare possunt; at bello exardente, potestas remedia fortiora seligendi ne nobis in manu quidem est; incommodisque undique cincti, delectum malorum habeamus oportet. Sequitur, ut in hoc statu rerum, praesidium a consiliis rationibusque necessariè petendum sit, a quibus, auspiciis felicioribus, animus prorsùs abhorruisset.

Chirurgo ad sauciatum arcessito, partibus incidendis multum tumefactis, cultro nec non solito more adhibito, portionibus videlicet musculorum, tegumentorumque, relictis, quae ad ossis extremitatem ritè amiciendam prima facie satìs valere videntur: Partes vero et detumentes, et sese malè retrahentes, membrum mutilatum nudum relinquent, spesque medici prorsùs corrumpent. Artus mutilatus formam conicam induit. Os folia exuit, contractioque partium haecce, et improvisa, et inopinata, operatione summa cum cura peritiaque peracta, malis diris ansas praebebit.

Hisce ritè perpensis, sequitur, ut inter membra amputanda, portionem et musculorum et etiam integumentorum, longè majorem ac quae necessaria, primo conspectu, videtur, chirurgus relinquat oportet.

Quod ad rem hancce quidèm pertinet, ne praecepta quidem ulla stant inter omnes, chirurgusque ratione ad intumescentiae modum ritè habita, conditione nec non laesi benè perspecta, observatione judicioque, usu experientiâque maturo niti debet.

Verumenimvero ne quis, observationibus hisce perlectis, animum de vulnerati refectione mihi unquam suspensum esse, dummodo amputationem mature subeat, eosve omnes, quibus artus laesi cito redempti sunt, periculo omni, inter deportandum immunes evasuros, sanè putet. Secùs equidèm sentio, animadversationesque meae hanc vim solummòdo habent, videlicet, quod, membris laesis ritè maturéque praecisis, vulnerati, et multo faciliùs vehicula tolerent et viribus eorum in itinere minùs fractis, citiùs certiúsque exemplis in plerisque convalescant.

Gravissima ob vulnera, corporis extremitatibus saepiùs inflicta, hi artus, sive superiores, sive inferiores, e trunco sejungendi veniunt; illi, potissimum, ferè quotidiè removeantur oportet. Operationum harum exempla duodecim et plura autopsiâ in peninsula observata habui. Ex his vero duo solummodò, etiamsi laesionibus maximis laborassent, fato cesserunt. Quin etiam, hi, et unus et alter, febri in nosocomio grassanti, succumbere facilè potuissent. Contagio etenim obnoxii fuere, quod illis exitio esse promptiùs potuisset, etiam si operationem neutiquàm subiissent.

Quod ad modum operandi quidem pertinet, usui Domini Vance ad nosocomium Haslarense olìm chirurgi sanè arrideo, propterea quod, chirurgus hicce, avibus secundis, aut sempèr aut plerúmque processit.

Verumenimvero inter usum Domini Vance praxinque de la Faye, hoc maximè interest, quod osse e cavitate glenoidea extracto, Vance partes cavum infra, ad perpendiculum cum corpore deorsùm secando divisit. Arteria axillaris digitis facilè prehenda est, usque dum ligatura ei imposita fuerit. Porro nequivi, quin facilitatem, quâ fluxus sanguinis hìc loci cohibetur, digito arteriam in claviculam solummòdo premente, impetuque circuitus magno parùm obstante, iterùm iterúmque miratus essem.

Ex operandi modo in medicum supra posito commoda diversa facilè oriuntur. Partes etenim superiores ad partes inferiores ritè accommodatae cum iis aptissimè congruunt, modo quo, incisio facta, speciem eximiam prae se ferat. Quinetiam parte superiore pendula deficiente, vulnereque ferè ad perpendiculum aperiente, materia,

pus videlicet, in eo parciùs colligitur, ibique brevi hospitatur.

De historicis vulneratorum duorum proxima aestate certior factus fui, quibus, post praelium Albuerae factum, femur ex acetabulo Elvae submotum fuit. Ex his uni laesiones maximae incidere, malisque hisce prorsùs obrutus, operatione peracta, diem citiùs obiit supremum. De altero vero usquè ad diem post operam octavum benè sperare licuit, illo attamen die febre implicitus fuit, dieque duodecimo animam exhalavit.

Vulneratus de quo agitur, curae Dom. Brownrigge ad copias chirurgo fuit. Chirurgus vero hicce mecum de eventu colloquens, typhum ei exitium intulisse nullus dubitavit. Febre etenim hacce haud pauci tunc temporis in nosocomio tentabantur.

Verumenimvero vel omnes vel plerique cum Do. Brownriggio familiaritate conjuncti, eum et arte chirurgica benè imbutum esse, et judicio acri frui, ni fallor, agnoscent, ideoque illi, historia hacce bene perpensa, persuasissimum fuisse, chirurgum necessitati coactum ad operam quam primùm sese accingere debere, fato vulnerati hujusce non obstante, propterea quod, valetudine aliter sana de eventu benè ominari liceat, statuere promptiùs lubet.

Femur veruntamen ex acetabulo submovere, est et chirurgo et etiam vulnerato ardui operis, exitusque sane pertimescendus est, nec adhuc quod sciam, operatio de qua agitur secundis avibus perfecta fuit *.

* De hac re, librum "*Relation Historique et Chirur-*
"*gicale de l'expedition de l'armie d'Orient, en Egypte*
"*et en Syrie, par M. Larrey,*" dictum, de meliore nota

Sequitur eventus alius malus in quem omni studio animoque intento, medicum militantem incumbere oportet: pus etenim copiosiùs collectum viam sibi inter musculos organorum, tormentis displosis graviùs

lectoribus commendo. Scriptor hicce locum primum inter chirurgos ad Gallicos exercitus obtinuit, exempla operationis hujusce, infeliciter quidem peractae, tria literis mandavit. His attamen in casibus, exitum malum in causas, illis in medium supra positis haud dissimiles confert, potius ac in periculum illum grave, quod artu ex acetabulo remoto, aegroto capiti necessariè imminet.

" *Quelque cruelle,*" inquit ille, " *que puisse être une* " *operation, elle est un acte d'humanité entre les mains* " *de chirurgien des qu'elle peut sauver les jours d'un* " *blessé, qui sont eu danger ; et plus ce danger est grand* " *et pressant, plus les secours doivent être prompts et* " *énergique.*" ' *Ad extremos morbos, extrema remedia* ' *exquisitè optima.*' (Hippocrat.) " *Dans cette circon-* " *stance, l'homme de l'art fait son devoir, et ne songe* " *point a sa reputation.*"

V. Larrey " *Relation Hist.*" &c. p. 320.

laesorum promptiùs aperit. Transitu hoc modo facto, materia purulenta longiùs latiúsque saepiùs diffunditur, interventuque ejus, musculi, aeque ac scalpelli usu, discinduntur.

Diffusioni huicce, ne sempèr quidem, remediis ad inflammationem subigendam praestantissimis, in auxilium vocatis, pureque formato ritè educto, obviam eundum est; at prophylacticis hisce in usum parùm adhibitis, nobis ante oculos multo saepiùs versatur.

Artuum vulnera malo de quo agitur obnoxia potissimùm evadunt, propterea quod musculorum aponeuroses, densae, firmaeque puris cursui superficiem versus facilè obstant, materiamque ad latera viam petere cogunt. Quinetiam injuriis gravioribus latéque patentibus illatis, inflammatio partes laesas ultra promptiùs extendet, telam cel-

lulosam vicinam praesertìm corripere videtur.

Hinc ratio forsàn patet, quarè suppuratio modo suprà dicto sese porrigit. Siquando potestas mali hujusce, aut sublevandi aut succurrendi, remediis debitis chirurgo parùm fuerit (quod saepenumerò accidit) aegrotique suppurationibus magnis contabuerint, chirurgus laesionibus hisce gravioribus ritè monitus, ad membra laesa amputanda confugiat oportet.

Verumenimvero, rebus sic stantibus, de partibus amputandis facilè ambigitur. An puris cursus omninò scrutandus est, partesque extremae ad quas pertigit, reverà submovendae sunt? Id si ita est, materiâ per brachii musculos usque ad axillam extendente, artum superiorem e cavitate glenoidea chirurgus removere debet; pureve per femoris musculos ad partem cruris superiorem viam

sibi patefaciente, membrum ex acetabulo incidendum est.

Chirurgum veruntamèn, ad operam satìs commodè confugiturum esse, etiam si suppuratio iter partes incidendas ultra petiverit, adducor ut credam, nisi si spatium latissimum malè occupaverit, ossaque ad incisionis locum laesa fuerint.

Historia quae sequitur, sententiam de hac re meam satis superque, ni fallor, enodabit. Signis Gallis per Lusitaniam vere proximo A. D. 1811, recedentibus illatis, miles legionis quadragesimae quintae quidam brachio transfixus fuit, telumque radio ulnaque propè articulum cum carpo fractis, partes cingentes vehementèr offendit. Mihi ante oculos post dies quatuordecim vulneratus hicce Conimbricae obversatus est. Vim puris insignem per musculos brachii ejus posteriores usque ad axillam diffusam inveni. Suppuratio

dolorque aegrotum miserandum macie extrema confecerant. De lacerto tuendo actus fui prorsus in desperationem. Consilio infra puris sedem amputandi haud pauci strenuè restiterunt: mentis attamen meae pondera, diversas ob causas aliò vergebant.

Inter elementa etenim artis chirurgicae prima, consilium hocce, ni fallor, ratum habemus, videlicet, ne pars corporis humani amplior, ac usus est, unquam scalpello incidatur: dein fuit mihi curae, quod potui, ne vulneratus miserandus membro prorsus captus sit; denique suppuratio boni generis fuit, aegrotusque in adversis vultum fortunae secundae reverà gessit.

Rebus ita sese habentibus, artum paullo supra ulnam more solito amputavi, pusque in parte humeri relicti effusum summa cum cura, incisionibus videlicet debitis factis, eduxi: vulneraque ritè maturéque, impedi-

mento ullo vix ac ne vix quidem interposito, remediis debitis, diaetaque generosa, in auxilium vocatis, conglutinata fuerunt. Si de humero amputando, felici cum eventu quotidiè remoto, judicium hocce ferre liceat, in injuriis artuum inferiorum similibus, res adhuc magis in aprico est, propterea quod, et femore ex acetabulo remoto, periculum summum, occasione etiam opportunissima vulnerato capiti certo certiùs imminet, et inter munera vitae fungenda, pars cruri conservata, vulnerato summoperè proderit.

DE EFFECTIBUS TETANI, VULNERIBUS GRAVIORIBUS SUPERVENIENTIS.

Tetanum vulnera sclopetica saepissime comitari, exitumque aegrotis, rationibus curandi quibuscunque non obstantibus, in-

ferre, sanè piget me statuere. Opusculi hujus limites debiti reverà prohibent, ne rei huicce ritè immorer: animum ad rem, historiamque lectoribus ante oculos statim ponendam, heic loci potissimùm adverto, propterea quod, eventus, expectationes neutiquam confirmat, quas M. Larrey supra citatus, de tetano vulneribus sclopeticis superveniente disserens, nobis commovet *.

Gallis vere A. D. 1811 pedem è Lusitania, duce *Massena*, referentibus †, necessitas

* Larrey, Rel. Chir. p. 73. " *Lorsqu'il est bien re-" connu que le tetanos est determinè par la bleussre, il " ne faut pas hesiter de faire l' amputation dés l' apparition des accidens.* "

Ibidem, p. 74. " *La section du membre, faite dans " les premiers momens de la declaration des accidens, interrompt toute communication de la source du mal avec le " reste du sujet : cette division degorge les vaisseaux, fait " cesser les tiraillemens nerveux, et detruit la mobilité " convulsive des muscles.*"

† Vide supra p. 35.

valetudinarium Conimbricae nos constituere coëgit, ob numerum eorum, quibus, in praeliis levibus quae inter extremum Gallicum agmen, praecursoresque Britannorum saepissime fiebant, plagae graves infixae fuerunt.

Valetudinarium hocce curationis meae fuit, interque munus proprium fungendum saucii tetano laborantes haud pauci mihi ante occulos versabantur, laesi morbo hocce gravissimo corripiebantur, idcirco quia, è partibus ulterioribus per vias asperrimas, vehiculis pessimis delati sunt, impetum morbi frequentem causae huicce promptiùs attribuerimus, propterea quod, caeli temperies, anni tempori satìs accommodata fuit, vulneraque speciem illam prae se neutiquàm tulere, quae, plerisque in casibus, tetanum instantem certiùs praesagit.

Interventu Dom. Williams ad legionem quinquagesimam secundam sub-chirurgi,

qui sauciis cohortis expeditae succurrendi ministerium sustinuit, facultas militem legionis quadragesimae tertiae gregarium visendi mihi fuit: milite hocce vulnere affecto, signa tetani incipientis sese ostenderunt. Aegrotus mecum obnixè egit, ut darem operam, ideoque et misericordiâ commotus, et exitu exemplorum ejusdem modi diversorum infausto, remediis, videlicet, per plurimis in usum incassum adhibitis, membrum arte removere illicò statui.

Partibus musculorum gastrocnemiorum carnosis (ventribus nempe) transfixis, artum supra genu incidi. Signa eodem die mitigationem subierunt, aegrotusque spatio horae post operam peractam sudore diffluit: an symptomatum allevatio haecce, camphorae, opioque liberiùs sumptis priùs occasio aegrum videndi quàm mihi fuit, jure attribuenda sit, necne, non dicere ausim. Quomodocumque veruntamen res haecce sese ha-

beat, signa omnia postero violentiùs ingruerunt, conatibusque nostris ad cursum morbi sistendum frustra factis, valetudo increverat aegroto, usque ad quartam post operam, quintamque post tetani impetum lucem, quando extremum halitum efflavit.

Distentiones nervorum violentae, et inter artum amputandum, et post incidendum, terrorem haud parvum nobis injecere; hae contractiones musculorum tam graves quidem evaserunt, ut metu maximo fuissemus, ne membro hoc modo diutiùs concusso, ligaturae e vasis convulsionum violentiâ delapsae fuissent: terror attamen de hac re inanis nobis incidit.

Argumentum de negotio tam magni momenti, singulis historiis minimè determinatum esse, facile agnosco, quoniam attamèn lis de hac re, in arte chirurgica adhuc sub judice est, historia supra in tabulis relata,

si mens me rite moneat, memoratu prorsus digna est.

In opusculo hocce nunc ad finem perducto, pauca de rebus chirurgicis, quas inter opera in acie navanda, experiendo didici; quaeque mihi diutiùs perattente meditata, animum altius penetravere. Quin et, regionem qua facultas hasce observandi mihi magna ex parte fuit, rediturus, me usu, experientiaque, magis adhuc exercitatum, vita producta, Deoque propitio consiliis meis favente, ad res hasce clariùs cognoscendas, aerumnasque militantum forsàn sublevandas plus minùs pro viribus adjuvaturum adducor, ut sperem. Quin et cives et academia haecce illustrissima his conatibus, temporibus nostris maximi momenti tum generi humano, tum incolis Britanniarum potissimùm inter insulas orbis terrarum latè longéque praestantissimarum, aequi bonique consulant, nullus equidem dubito.

FINIS.

Excudebat C. Stewart.